



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Personius cur Oxonio discesserit. n. 7.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

pla virtutum, quæ in prono ad pietatem animo, & amorem facile parerent, 1569.
& venerationem. Siue autem cum caperet sanctissimi Nominis *Iesu* Appellatio, (quod nomen à nouis hæreticis indignis modis haberi cognoratur) siue eius ordinis ratio placeret magis, quæ non ad animatum lucra solum instituta erat (quarum ex sua quanta esset iactura in Anglia peruidebat) sed ad summi Pontificis obsequium promptior videri posset ex voto (cuius Pontificis auctoritatem nouo capite constituto Anglicanum Schisma pessundare conabarur) siue recens ordo & splendore operum, & animi ardore conspicuus oculos, vt sit, mentemque auidius intuentis raperet, eo præsertim tempore quo ad Generalem Præpositum in demortui *Borgia* locum subrogandum, ex omnibus Prouincijs primarij Patres conuenerant: siue denique alia qualibet occultior causa interius vrgeret, Societati *Iesu* vt se daret vehementius incitabatur. Neque difficulter impetrauit vt admitteretur is, in quo & hærescos odium, & candor animi, & cum non vulgari doctrina insignis coniuncta modestia relucebat; *Mercurianus* recenter ab Germaniæ totius cura ad vniuersæ Societatis regimen prouectus hac cum beauit forte, atque Prouinciali Austriæ *Laurentio Magio* commendatum, Brunam, ad Tyronum domicilium transfmisit.

In Societatem admittitur.

VII. Interea dum *Campianus* per Sanctiores vitæ exercitationes virtutis firmæ robustæque, ponit fundamenta, præsidium aliud conseruandæ in Anglia fidei Deus optimus maximus instruere aggreditur. *Robertus Personius* in eadē Oxoniensi Academia Collegij Baliolensis locius, tantum ingenio, industriâ, vsu rerum profecerat, vt quemadmodum annis plerosque, ita dignitate & gratiâ cæteros antecederet, tantamque discipulorum, seu vt vocant pupillorum, manû post se traheret, quanta vix tribus cõtingere consuevit: quicquid verò in causa fidei aut cogitarent aut facerent alij, cum Catholicis sentire haud obscure præ se ferebat: *Virtus* autem cum raro se absque æmulis erigat, hos *Personius* eo nactus est potentiores, quo *Hæresis* ad nocendum inuidia præibat, inuidie *hæresis* seruebat. *Hæc* temporis optimatumque securâ, indignam rem esse aiebat, vt is qui palam de Religione aliter iudicaret, & loqueretur, quàm regni nunciura definerant, iuuentutem tam numerosam, tamque florentem, ac diuitem duceret, Papistarum, videlicet, nugamentis implicandam; *Inuidia* non n̄tminem à *Personio*, non admodum fortasse de Religione dissidentem stimulabat, vt quos *hæresis* subtraheret adolentes, hi suæ vnus curæ adiungerentur: Atque vt hic in aduerso agmine præeat, facile fert hæreticus æmulator: Abduxerat de nocte iuuenem (absente per festa natalitia *Personio*) ad Comædiam; Id quoniam in digressu fuerat seuerè adolescenti interdictum, suadet non impunè prætereundum à Tutore, cum is rediisset, subduceret itaque se reuertenti, non defuturos patronos qui essent nè quid incommodi pateretur, aduigilaturi. Dum igitur à *Personio* reduce repetitur iuuenis, dum hinc defenditur, inde non priuatim solum, sed & publicè coacto conuentu sociorum, Tutoris iure deposcitur, quoniam maximam Academiæ iam partem

Robertus Personius cur Oxonio discessit.

Prima occasio discensus.

1573. *Hæresis* obtinuerat, exclamant qui eam labem altiùs hauserant, ferendum non esse vt aut iste, aut cæteri iuuenes diutius in huius pupillis sint: si cum totius regni mente consentientem sententiam habere aut non queat, aut nolit, abeat loco, & quò libet se conferat; diffiteri non posse quin constitutum illi aliquando fuerit trajecto mari in alias regiones proficisci, in quibus quod federet animo actione perficeret: proficiscatur: volentibus animis concessuros, & tempus ad opportuna itinera comparanda, & Societatis atque officij interim iura (erat enim Collegij sui id temporis decanus) At modò cedat iuribus his confestim obsignatis tabulis: dura conditio, at necessariò amplectenda, nisi apertâ vi (quam truculenter minabantur) vellet se discipulolique omnes suos intempestâ nocte depelli. Subscripsit igitur, non tam inimicorum fractus audaciâ, quàm amicorum accedens consilijs, in hæc ipsa verba, ex tabulis fideliter huc translata. *Ego Robertus Persons, Socius Collegij de Baliol, resigno omne ius meum, titulum, & clamium, quod habeo, vel habere potero, Societatis meæ in dicto Collegio: quod quidem facio sponte, non coactus; die decimo tertio Februarij, anno millesimo quingentesimo septuagesimo tertio: Robertus Persons.* Sequitur concessio de retinendo cubiculo & discipulis quamdiu *Personio* placeret, his verbis concepta. *Eodem tempore decretum est conuulsi consensu Magistri, & reliquorum sociorum, vt Magister Robertus Persons, nuperimè socius, retineat sibi sua cubicula, & scholares quousque voluerit, & communia sua è Collegio habeat, vsque ad festum Paschatis immediatè sequentis.*

Cedit iuribus Collegij

Annus ponitur 73. stylo Angliæ; qui inchoant Annum 25. Martij.

Discessus occasio altera.

VIII. Exuerat itaque se, scripto vadimonio officij sui Collegijque iuribus; tenebat ea quasi precario, dum menses effluerent de quibus erat transactum. Vigebant etiam tunc in Academia antiquæ leges, quæ per solemnem Quadragesimæ dies inhibebant esum carniùm. Intellexerat *Personius* non solum furtim in has esse peccatum, sed & in illos, qui religiosiores fuerant, insolentius actum à nonnullis; quâ de re dum studet inquirere, hoc quasi classico exciti inflammantur rursus animi hæreticorum, furunt, discurrunt, baccantur, & facta manu campanas inuerso ordine, quasi ad incendium, commouent; Inclamant, Papistæ incendiario in Collegio Baliolensi interdici aqua & igni: Incendiarij ipsimet pessimi, maleuolique susurriones. Nimirum animi semel exacerbati vt non facilè dulcedinem concipiunt, ita dolorum suorum causas alias omnes esse volunt quàm quæ rei verissimè insunt; & quos auersis aliquando oculis aspexere, rectis nunquam contuentur. Quæ singillatim à me percensenda fuerunt, quò calumniæ præcidatur tela, quam multis post annis eadem hæc inuidia contexit, non Religionis ac probitatis defensæ causâ cessisse *Personium*, sed cum reus commotæ (si Diis placet) seditionis ferri diuturnius non potuisset. Itaque scriptis tabulis non creditur; exacerbatorum hominum sermonibus credetur? quos cum animi impetus incitauerit, nihil morari potest, quin & hæresi (quam oderunt) patrocinentur potius, quàm vt is quem luis luminibus quoquo modo officere finxerunt proprio